



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. II. De vehiculorum primo auctore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Cap. II.

De vehiculorum primo auctore.

Vehiculum videtur ab Adamo inventum. Cur hoc tribuant Minervæ, aut Vulcano. Erichonium num, & quid invenerit. Scholiastis Pindari & Tertulliani lapsus. Vehicula Regum apud Aegyptios. A Iosepho qualia missa. Bocharti laus. Indæorum mulieres vehuntur asinis, viri eunt. Pelops vel Neptunus num invenerint vehicula. Scholiastis Pindari error alius, & Aristidis. Num Prometheus. AEschylus exponitur. Plaustrum à quo sit inventum, & vehiculum unius rotæ. Hyginus emendatur. Aquo bigæ. Castoris inventum quale. Scholiastes Pindari exponitur. Hyginus emendatur denuo. Eurægis aliquando usurpatur de amphipis. Trigæ quis invenerit. Argolus notatur, & Gyphanius. Quis quadrigæ. Quadrigæ quando primum data in ludis Panathenæis. Trochili inventa. Eusebius & Theon Alexandrinus explicantur. Ado, Eusebius, Tertullianus emendantur. Oenomai, Orsilocho, Semi inventa. Hyginus & Savaro notantur. Corippus emendatur. Locus Diphili examinatur. Scholiastes Pindari emendatur. Panorum, Libyæ, & Minervæ Coriæ inventa. Lambini, Gothofredi & Gyraldi emendatio rejecta. Ciceronis lectio vulgaris defensa, & cum Harpocrati conciliata. Salmastius notatus, ejusque emendatio. Papinii repudiata. Philostratus & Papinius expositi.

Vehiculi quis auctor primus fuerit, necdum proditum veteribus invenio. Rem esse vetustissimam dubitare usus ejus non permittit, qui cum sit amplissimus maximèque necessarius in re rustica cultuque agrorum, una cum ipso cœpisse consentaneum videtur. Ac fortassis ipse generis humani princeps, cum instrueret aratrum, etiam vehiculum excogitavit. Nihil quippe facilius est, quam ab aratro ad vehiculum procedere. Quod enim de Minerva tradidit Homerus in Hymno :

Πρωτον

Πρώτῃ τέχνῃ ἀνδρας ἐπαχθόνες ἐδίδαξε
Ποῖσαι σάτινα καὶ ἄρματα ποικίλα χαλκῷ.

Prima fabros lignarios viros terrestres docuit facere scuta & currus varios aere: id vel fabulosum est, nec intelligendum aliter, quam quatenus Minerva, quæ ingeniorum dea habetur, invenisse omnia censeretur potest, cum quodcunque denique ab arte proditum extat, id excogitatum sit ab ingenio humano; vel ad currus non in universum omnes, sed qui spectant ad militiam & prælia, referri oportebit. Certè antecedunt ibi pluscula de bello, & in ipsis istis verbis scuta cum vehiculis junguntur. Postremò manifestè Aristides in Panathenaica de Minerva: Ἰσπῶν ἀμιλλῆσι καὶ πολεμιστῶν ἐφῆσαν ὀχήματα. Equorum ad bella & certamina comparatorum prodidit vehicula. Sed & quando vehiculum Vulcani munus appellat Ovidius, lib. II. Met. f. I. istis verbis:

ad alios

Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.

Id vel propter ignem dictum, cujus fiunt beneficio, quæcunque ex ferro, ære, aliisve metallis parantur, etiam in vehiculis; vel privatim de vehiculo Solis ex commentis Poëtarum est intelligendum. Neque verum, quod de Erichtonio tradit Scholiastes Pindari, ac ex eo retulerunt alii, tanquam ipse fuerit vehiculorum auctor: vel quod de Acrophylo Argivo memorat Tertullianus. Vixit enim uterque Athenis, quæ urbs diu post extructa, quam vehicula in usu esse cœperunt. Saltem longè ante Erichtonium Acrophilumque vixit Moses, cujus ætate memorantur vehicula, etiam bellica; longè ante Mosen Josephus, à quo usurpata plaustra, & ad suos accersendos missa, quæ fortassis vetustissima vehicula, quorum mentio apud veteres occurrit. Nisi quod eodem tempore inveniantur quoque Regia vehicula, usurpata Pharaoni in Ægypto, ejusque indulgentia concessa etiam Josepho, de quibus Gen. cap. 41. Ita namque Moses de Pharaone: *Fecitque eum (Josephum) ascendere super currum suum secundum.* Græcus habet: *Ἐπὶ τὸ ἄρμα τὸ δέσιον,* quo planè singulare Regiumque vehiculum notatur. Et videntur Reges Ægyptii frequentius vehiculis fecisse iter, quam eqvis; sicut

ut

ut & Persarum Reges, quod de his ad Ælianum nostrum quondam annotavimus. Sed nec plaustra Josephi ex vulgari genere fuisse videntur, etiamsi verba veteris sic habeant: *Præcipe etiam, ut tollant plaustra de terra Ægypti ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum.* Castalio profectò honoratiori voce ita vertit: *Hoc ei mandat, ut illis Ægyptiorum vehiculorum copiam faciat, quibus parvuli & mulieres vehantur.* Græci reddiderunt ἀμάξας, quod sæpe quodvis genus notat. Jonathan in Paraphrasi sua בַּדְּנִים, *hassedanim* exposuit, unde provenisse veterum Gallorum esseda, quibus ob id forma fuerint non multum absimilia, incomparabilis doctrinæ vir, Samuel Bochartus, arbitratus est. Denique vehicula vulgaria & agrestia mandato Regis missa, & tanto missa terræ spacio, & ad vehendas mulieres missa, veritati parum convenire videtur. Quare si fuerunt cultiora, quanto ante inculta & vulgaria in usu fuisse apud Ægyptios saltem arbitramur? Nam si apud gentes alias, & præcipue Judaicas nota minus fuerit, mirum esse nequit, quoniam Judæorum vita fuit ferè pastoritia, ut Jacobus ipse coram Rege Pharaone profitetur. Et profectò equitare potius solebant. Moses de Rebecca, Gen. XXIV. *Rebecca & puella ipsius ascensis camelis secutæ sunt virum.* Et cap. XXXI. de Jacobo: *Impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.* Viri ambulant pedibus, mulieres & tenera ætate liberi vehuntur camelis. Vehiculorum cæterorum nulla mentio, ex causa, quam prædixi. Alia fuit ratio in Ægypto, ubi propter agriculturam frequentem plaustrorum usus semper fuit necessarius. Jam si nec Acrophilus, nec Erichtonius vehiculorum esse possunt auctores, multò minus inventum eorum tribuendum erit Pelopi, quippe qui post illos vixit. Et tamen paulò ante dictus Pindari Scholiastes, ad Oli. i. Ἰστέον, ὅτι τὸ μὲν ἄρμα Πέλοψι πρῶτος εἰδείξεν, ἐκ Ποσειδῶνος & λαῶν. *Sciendum, quod vehiculum monstravit primus Pelops, à Neptuneo acceptum.* Quamquam per hæc ipsa verba inventio ipsorum non tam spectet ad Pelopem, quam ad Neptunum. Quod Scholiastes ipse vidit, ac propterea ποσειδῶνιον seu *Neptunium* dixit appellatum. Subdit enim mox: Ποσειδῶνι, διότι Ποσειδῶν πρῶτον Πέλοπι ἄρμα ἐνεχείρισεν. *Posidonios, id est, Neptunius dicitur*

Etus est ex eo, quod Neptunus ipsi primum tradidit vehiculum. Cæterum is ipse Scholiastes alibi Neptuno non tam tribuit inventionem vehiculi, quam juncturam eqvorum, uti post monstrabitur. Potuerunt autem diu ante inventa fuisse vehicula, quam ad ea jungerentur eqvi. Quamquam sic in univèrsū de vehiculo affirmet quoque Aristides, Or. Isth. in Neptunum, ubi de eo: τῷ ἀνθρώπῳ διπλὸν ὄχημα ὑπέδωκεν, ἄρμα μὲν ἐν γῇ, ναὺν δὲ ἐν θαλάττῃ. *Homini duplex supeditavit vehiculum, currum quidem in terra, navim verò in mari.* Ac fortassis per Neptunum intelligere Noachum filiumve illius Japhethum debemus, quomodo non uno loco ipsum explicavit Vossius. Neque alius opinione mea est Prometheus, cui vehiculi inventum tribuit Poëta Æschylus. Facit enim sic loquentem:

-- Πρῶτος ὁφ' ἄρμα' ἤγαγον φιληνίης
ἱππας. -- -- -- --

Primus ad vehicula iunxit frenigeros equos. Hic Prometheus, id est, Noachus, primum sese ait junxisse ad vehiculum eqvos, post diluvium videlicet, nec absq; ratione, quia primus agrum coluit, quam ad rem vehiculorum plurimus atqve necessariū est usus. Sanè per Prometheum significari Noachum ostendit Vossius cum alibi, tum lib. I. Theol. Gent. c. 18. & planè convenit, quod hic diximus. Idem aliquando est Neptunus; aut saltem filius Noachi, Japhetus. Qui cum sorte obtinisset maris Mediterranei insulas continentemqve Europam, ad quas regiones occupandas plus, quam cæteri & eqvestri arte opus habuit & nautica, quid potest esse mirum, si vehiculum id duplex invenisse Aristidi dicatur? Quamquam hæc inventio ad tempora diluvium secuta, reparatumqve altera vice genus humanum pertineant. Ante quæ jam olim vehicula fuisse in usu, ipsumqve fortassis Adamum habuisse auctorem quare dubitare debeamus, ego causas quidem haud video idoneas. Græci tamen ejus generis, quod ἄρμα, Latine *plaustrum* dicitur, Philomelum, Cereris Jasionisqve filium, faciunt auctorem. Sic enim Hyginus ex Hermippo, qui scripsit de syderibus: *Philomelum & Plutum fratres negant inter se convenisse.* Nam Plutum, qui ditior fuit, nihil fratri suo de bonis concessisse: Philomelum autem necessario addu-

ctum,

etum, quodcunque habuit, eo boves duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse. Itaque arando & colendo agros ex eo se aluisse: cujus matrem miratam inventum, ut arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem nominasse. Sic Hyginus ex Hermippo, junctoque illi Petellide Gnosio, Historiarum scriptore, sicut dixi. Cæterum Jasion filius fuisse dicitur Coryti & Electræ. Electra una Plejadum putatur, quæ cum fororibus educavit Liberum. Qui cum ferè innuat Noachum, quid censeretur de Philomelo, liquet. Tibullus profectò ipsi Libero & Cereri hoc tribuit, lib. II. el. i.

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur

Servitium, & planstro supposuisse rotam.

Recentius inventum est vehiculum cum rota una, id enim excogitasse Triptolemum ferunt. Hyginus iterum lib. II. Astron. Ceres cum sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cujus ipsa fuerit nutrix, in curru draconum collocatum (qui primus hominum unarota dicitur usus, ne cursum moraretur) iussit omnium nationum agros circumeuntem semina partiri. Ita totus ille locus emendandus est. Ostendit enim Hyginus, auctorem unarotæ, ostendit etiam inventionis causam. Adhibitam nimirum unam rotam propter festinationem, ne si expectarent, donec altera quoque fieret, negotium tam salutare differretur nimis longo tempore. Vulgati parum aptè istud unarota dividunt, sicut alias monstrabo, & mox: *Nec cursu moraretur*, sine sensu. Porro si, ut vult Hyginus, Triptolemus demum genus hoc vehiculi excogitavit, patet, serius innotuisse. Vixit enim Triptolemus tertius post Cecropem, aut quartus, qui æqualis Moysi fuit. Bigas Phryges volunt invenisse. Plinius, lib. VII. cap. 56. *Bigas primum iunxit Phrygum natio.* Plinio Polydorus addit Probum, verba ita habent: *Bigas primum Phrygum natio iunxit, ut Probus & Plinius auctores sunt.* Ubi Probus hoc tradiderit, quæro studiosè, nec invenio. Quicquid sit, non Phrygas, verum Castorem auctorem hujus rei facit Scholiastes Pindari, ad Od. V. Ita namque habet: *Δοκεῖ συνορίδα καὶ ἀλέυζεαι πρῶτ' ὁ Καστωρ.* Videtur primus Castor iunxisse bigas. Item paulò post: *Κέλῃα καὶ χαλινὸν πρῶτ' ὁ Βελλεροφόνῃς καὶ ἀλέυζε, συνορίδα Καστωρ.* Equum singularem frenumque primus

Bellerophontes; bigas verò iunxit Castor. Sed hoc nemo alius de Castore. Id genus potius tributum ipsi videtur, quod ἀμφίπυες alias seu eqvos desultores vocarunt. Hyginus sanè fab. 80. *Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit, quod ille (Pollux) sua & fratris (Castoris) vice fungatur.* Sic legenda sunt hæc verba, in quibus vulgo deest *de post capite*, omissum absque dubio, propter similitudinem postremæ syllabæ in vocabulo præcedenti. Nec fortassis aliud Scholiastes vetus voluit, quando συνωρίςα opposuit κέλῃς, hoc est, eqviti singulari. Suidas: *Συνωρίς κυρίως ἵπποι δύο συνεζυγμένοι κέλῃς ὃ ἐπὶ ἐνὸς ἵππου ὀρεμένῳ, καὶ ἄλλος ὁ μὲν ἵππῳ.* *Synoris proprie equi duo juncti.* *Celes verò, qui uni equo insidet, ipseque equus singularis.* Loquitur eodem planè modo, sicut Scholiastes, & synorida intelligit de nudis eqvis. Idem fit & ab Hesychio, quando non vehiculum modò binis junctum eqvis, sed & eqvos junctos ait denotare. *Συνωρίς, αἵτ, ἄρμα ἐκ δύο ἵππων, ἢ συζυγία.* *Synoris vehiculum duorum equorum, vel eorum coniunctio.* Quæ omnia efficiunt, ut hoc genus Scholiasten censeam intellexisse, auctoremque eqvorum desultorum seu ἀμφίππων fecisse Castorem, atque ita Plinii sententiam de bigis servem integram. Bigæ sanè diu cognitæ ante Castorem videntur, cum ad Trojam fuerint in tam frequenti usu. Heroës certè alio pugnasse genere vix leguntur. Itaque & Hector præmium speculatori promittit apud Homerum, Il. K.

— Δίφρον τε, δύο τ' ἐργαύχενας ἵππους.

Currum & duos elata cervicis equos. Achilles quoque duos tantum ad vehiculum suum jungit eqvos, cum in prælium iturus esset: duos tantum affatur illo versu:

Ξάνθε τε καὶ Βάλιε, τὴλεκλυτὰ τέκνα Πριάμης.

Nec in certamine curuli ludicro plus, quam duo eqvi ad currus singulos apud Homerum Il. 4. nisi credimus Menelaum tantum duos, reliquos habuisse plures, quod lex & ratio certaminis, quæ æqualitatem exigit etiam in numero eqvorum, non permittere videtur. De Menelao autem clarè Homerus:

— Ὑπὸ ὃ ζυγὸν ἤγεγεν ὠκέας ἵππους

Αἰθιπὴν τὴν Ἀγαμέμνονέν, τὰ ἐὼν τε Πόδας γον.

Sub

Sub iugum duxit veloces equos, Aethen Agamemnonium, suumque Podargum. Sed & quod ibidem tradit de Diomede; hoc confirmat. Nam quando scribit, junxisse equos, quos abstulit Aeneas, duos tantum junxisse ostendit, cum plures non abstulerit. Et clarissime Dictys Cretensis, lib. III. *Bigarum premia Diomedes meruit.* Hector quoque tractus bigis legitur, non trigis, vel quadrigis. Virgilius, Aen. II.

In somnis ecce ante oculos maestissimus Hector

Visus adesse mihi, largosque effundere fletus

Raptatus bigis, ut quondam. -- --

Trigas sunt, qui Martem invenisse putant. Argolus praecipue in Notis ad Onuphrium, quia Hymni auctor de hoc deo:

-- -- -- -- *Ἐνθα σε πῶλοι*

Ζαφλεῖες τροάτης ὑπὲρ ἄλλου & αἰνέχουσιν.

Hoc est, ut exponit idem Argolus:

-- -- -- *Vbi quadrupedes te*

Per flammata triga iuga decurrentia portant.

Gyphanius paulò aliter: *Vbi equi te valde flammis tertio super currum semper habent.* Sed haud dubiè minus rectè, cum quid illud tertio sibi velit, haud appareat, & si semper bene sese habet, tertio stare nequeat. Licet autem trigas hic intelligamus, tamen Martem invenisse hinc colligere non possumus. Martem potius accipimus pro bello, & in illis usurpatas quocunque denique auctore arbitramur. Nisi auscultamus Magistris Hebræorum, qui à Pharaone dicunt primum institutas, cum persequeretur Israëlitas. Verba citant viri docti ex Jonathane: *Et mulam tertiam ad trahendum & insequendum cum celeritate addidit singulis curribus.* De quadrigis quoque dubia sunt non pauca. Multi Erichtonium habere auctorem arbitrantur. Plinius lib. VII. cap. 56. *Quadrigas iunxit primum Erichtonius.* Verus Germanici Commentator: *Erichtonius primus currus homines equis iunctis docuit similes quadrigas solis facere.* Ante omnes hosce Virgilius III. Georg.

Primus Erichtonius currus & quatuor ausus

Iungere equos. -- -- -- --

Vixit Erichtonius Mosis circiter temporibus, aut paulò post, quod colligitur ex eo, quia Danao æqualis fuit, cuius ætas incidit in Josue initia. Porro ad hæc usque tempora incognitas fuisse quadrigas, difficulter persuadetur, cum habuerint vehicula diversorum generum, etiam bellica & militaria, saltem Ægyptii, ut ex superioribus apertum est. Quare magis probo, quod habet Eusebius de hoc Erichtonio in Chronicis: *Erichtonius primus quadrigam iunxit in Græcia, erat quippe apud alias nationes.* Privatum in Græcia hoc fecisse ait; quanquam etiam hoc restringat Pomponius Sabinus, & de sola Attica accipiat. Quia in re consentientem sibi habet Varonem, qui hoc amplius de solis intelligendum ludis Panathenæicis ostendit, itemque Philargyrium, qui Varronis verba laudat. *Varronem, inquit loco antea citato Virgilii, in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichtonium ait primum equos quatuor junxisse ludis, qui Panathenæa appellantur.* Annotandum hoc est eo magis, quod in opere peculiari de hoc festo Meursius omisit. Sed existimet nonne mo istæc non de curru aut vehiculo, sed equis solis accipi fortassis oportere. Verum aliud ex Virgilio Grammaticoque veteri, quem nominavi ante, constat. Neque voluit diversum Ælianus lib. III. cap. 35. quando prodit de Atheniensibus, quod certamen corporum primi instituerint, nudaverint sese unxerintque, ac tum subdit: *καὶ ἡ πρῶτη ἐξευξήθη πρῶτον Ἐριχτόνι.* *Et equos primus junxit Erichtonius.* Id quod pridem indicavimus in notis nostris. Cæterum is ipse Eusebius alio loco diversum secutus auctorem, quadrigarum inventum tribuit Trochilo. Verba sunt ad Numerum CCCCXLVII. *Trochilus primus fertur junxisse quadrigam.* Atque ita Theon Alexandrinus in Notis ad Aratum: *λέγουσιν εἶναι εἰδῶλον ἢ Βελλεροφόντα, ἢ Τροχίλου τῆς Καλλιθέας παιδός, τῆς πρώτης ἐν Ἀργεὶ γενομένης ἱερείας, ἃς πρῶτον ζώοντι.* *Ajunt esse imaginem vel Bellerophontis, vel Trochili, Callitheæ filii, quæ Argis prima fuit sacerdos, sicut ille primus iunxit vehiculum.* Quod generatim hic de curru refert, speciatim pertinet ad quadrigas. Freculphus tom. I. Chron. lib. II. cap. 6. *Trochilus dicitur primus iunxisse quadrigam.* Ad eundem modum Ado ad Annum 1645. *Hæc etiam ætate primus Trochilus quadrigam iunxit.*

Vete-

Veteres editiones habent *Procidus*, quod est primum, licet etiam in Eusebii codicibus quibusdam *Proclitus* legatur, aut *Arogilus*, ut in Tertulliano de Spectaculis *Acrophilus*. Neque enim alius intelligendus est, cui inventum ibi tribuit vehiculorum, nec vehicula alia, quam quæ dixi. Vixit porro Trochilus post Erichthonium, quod colligitur ex eo, quia pater fuit Triptolemi, qui post Moſen, cui æqualis pænè fuit Erichthonius, vixit tribus minimum ætatibus. Unde liquet, quid de fabula hac statui oporteat. Erichthonium videlicet quadrigas invenisse Athenis & adhibuisse primum ad ludos sacros, Trochilum paulò post publicasse, atque usurpasse Argis. Ut hoc quidem sensu rectè Eratosthenes tradiderit de Erichthonio apud Hygin. lib. II. Astr. *Cum vidisset eum Iupiter primum inter homines equos quadrigis iunxisse, admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod princeps quadrigis inter deos est usus.* Saltem ante Erichthonium Solem invenisse quadrigas atque usurpasse ostendit. Quo respexit quoque Commentator vetus Germanici, quando in superioribus agebat, Erichthonium docuisse currus facere *similes quadrigæ Solis.* Adeò earum inventum sic simpliciter Trochilo assignari nequit. Quemadmodum nec Orsilocho, qui haud dubiè hic ipse Trochilus. Hyginus ante dicto loco: *Nonnulli, qui de syderibus scripserunt, hunc natione Argeum, Orsilocho nomine, primum quadrigarum inventorem esse dixerunt, & pro inventione syderum locum possedisse.* Et multo minus OEnomao, Pelopis æquali, atque ita juniore dictus, cui tamen tribuit Savaro ad Sidonium. Auctorem certè veterem pro hac sententia laudare potest nullum. Nam Sidonii quæ adfert loca, peritum aurigandi faciunt, non quadrigarum auctorem. Neque debuit Corippi locum sic supplere:

OEnomaum referam primas iunxisse quadrigas.

Quanto melius Scaliger, qui pro eo posuit *Orsilocho*. Sicut autem post Erichthonium Orsilocho vel Trochilus Argis, ita locis aliis alii usurpare primi potuerunt. Hinc fortassis est, quod ait Diphilus, poëta vetus Theſeidos, apud Scholiastem Pindari Olymp. od. X.

Orsilocho

Θρέψας δὲ πάλαι, ὡς ὁ Μαντινέως Σῆμα
Ὁ πρῶτος ἄρμα ἤλασεν Ἀλφειῶ.

Semum vocat quadrigarum auctorem. De quadrigis enim explicat hæc verba Scaliger ad num. Euseb. DXLIII. quoniam Hygenus scribit: *Elide, que urbs Peloponnesi est, certamen quadrigarum primum institutum.* Nempe fluvius est Elidis Alphæus, ubi currum junctum ait Diphilus, sicut Servius testatur. Quamquam possit esse dubium, an de fluvio loquatur, cum præsertim Mantineum ipsum Semum faciat, hoc est, Arcadem. Nec de Semo satis constat, quando quidam legunt Σᾶμα, alii per hunc ipsum accipiunt Neptunum, inter quos est Didymus, nobilis Grammaticus, auctore dicto Scholiaste. Unde subdit: παραλίθουσι ἡ καὶ τὸν γράφοντα πλὴν Θησιῶνα, μαρτυρεῖται πρὸ ἡρώων τῶν ἄρμα ἡνιοχέων ἀρετῶν. τρώας ἡ πάλαι ὡς ὁ Μαντινέως Σῆμα. Quibus verbis Diphilum adducit, tanquam eandem sententiam probantem versu antea citato. Hic enim est γράφων πλὴν Θησιῶνα, sicut ibi scribi debet. Quicquid verò sit, neque Semus Diphili neque cæteri, quos hactenus attulimus, simpliciter quadrigas invenisse intelliguntur, sed vel in Græcia solum, vel ibi etiam ad solos primum admovisse ludos. Potuerunt autem ante aliis in terris & ad usus alios notissimæ fuisse. Ac profectò Pœnis tribuit inventi ejus gloriam Eustathius. Verba ita habent ex interpretatione Latina (Græca enim videre non potuimus) in Notis ad Perieg. Dionys. *Apœnis quadrigarum usum esse inventum memorie proditum est. Scribit enim Herodotus, Græcos à Pœnis didicisse quatuor equos iungere.* Quamquam, quod de Pœnis refert, sit Eustathii, non Herodoti, qui pro eo Libyos usurpat. Ita enim habet in Melpomene: τέσσαρες ἵππους ζευγνύουσι καὶ Λιβύων οἱ Ἕλληνες μεμαθήκασι. *Quatuor equos iungere à Libybus didicere Græci.* Adhuc aliud quid prodit Tullius lib. III. de Nat. Deor. nam Minervam ait invenisse. *Quarta, inquit, Minerva, Iove nata & Coryphe, Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum in ventricem fecerunt.* Annotant Lambinus atque Gothofredus ex Protreptico Clementis *Coryphastam* legendum. Sed Coryphasia est dicta à Messeniis, ut ait Clemens. Idem innuit Pausanias, quando in Messenicis: *Est Pili*

Pili Minerva templum, cognomento Coryphasæ. At Ciceronis *Coria Minerva* sic est dicta ab Arcadibus, cujus templum fuit prope Clitorium, Arcadiæ urbem. Ille ipse Pausanias in Arcadicis: *In montis vertice, procul ab urbe stadia ferme triginta, ædes est cum signo Minervæ Coriæ.* Nulla igitur in Tullio est opus emendatione, neque sequi debuerunt Victorium, quem primum ajunt locum hunc fecisse suspectum. Quamquam & Gyraldum ita videam legi voluisse. Etiam pro *Coryphe* vetustiores libri habent *Polyphe*, quod fortassis ipsum etiam non debuissent immutare. Harpocratio clarissime: Ἰππεία Ἀθηνᾶ, Ἰσσίῃ ἐν τῷ πρὸς Καλυδῶνα. Μνασαίας ἐν πρώτῃ Ευρώπης, πλὴν Ἰππίαν Ἀθηνᾶν Ποσειδῶνι εἶναι φησι θυγατέρα & πολύφης τῆς Ωκεανῆς, ἄρμα δὲ πρῶτην καλᾶσκευάσασαν διὰ τὸ Ἰππίαν κεκληθῆναι. *Hippea Minerva.* Sic *Isæus* in oratione ad *Calydonem*. *Mnaseas* in primo libro *Europæ Hippiam Minervam Neptuni esse dicit filiam & Polyphes, Oceani filia, primam verò invenisse currum, eaque propter Hippiam esse dictam.* Pari modo *Suidas*: Ἰππεία Ἀθηνᾶ. Ταύτην Ποσειδῶνι εἶναι φησι θυγατέρα καὶ Πολύφης τῆς Ωκεανῆς. Ἄρμα δὲ πρῶτην καλᾶσκευάσασαν διὰ τὸ Ἰππίαν κληθῆναι, quæ ipsa Harpocratio verba sunt. Liqvet autem, eam ipsam Minervam, quæ invenit currum, vel, ut ait Tullius, quadrigas, esse filiam non Coryphes, ut est in vulgatis, apud Tullium, sed Polyphes, sicut olim habuere. Neque obstat, quod hic Pater ejus dicatur Neptunus, apud Ciceronem verò Jupiter, cum & Neptunus Jupiter sit aliquis in mari, & Reges sæpius, quatenus sunt Reges, appellantur Joves, quatenus sub imperio suo habent insulas & vicinum mare, vocentur Neptuni. Cæterum quod de Minerva ista prodit Cicero, id aliter intelligendum non videtur, quam ut supra etiam à nobis est relatum. Bene Phornutus: *Minerva est Iovis intellectus, haudquaquam diversa existens, quæ Iovi inest prudentia.* Interea hoc liqvet, quadrigarum esse vetustissimum inventum, longèque ante excidium Trojanum usum earum innotuisse. Quo magis mirum potest videri, quod proditur Cl. Salmasio *Exercitationum Plinianarum*, p. m. 900. Heroibus Trojanis fuisse incognitas, ideòque locum Statii Papinii contra veterem consensum codicum sic esse emendandum:

C

Nam

Nam flavus Arion
 Ut vidit, saliere juba, atque erectus in armos
 Stat, sociumque jugi, comitemque utrique laboris
 Secum altè suspendit equum.

Veteres & recentes omnes habent, comitesque, ac mox, equos. Neque potest aliter, aut debet, quoniam præcedit paulò ante:

Atque illic ingens certaminis instar
 Quadrijugi.

Quod non attendisse summum virum, ac propterea emendatricem abstinuisse manum utique mireris. Ecquod enim esse quadrijugum certamen potest, quod cum trigis instituitur? Neque mirum, formari quadrijugum certamen Statio, cum Homerus ipse quadrigarum mentionem faciat, easque saltem Hectori assignet. Ita enim Hector ipse suos in vehiculo compellans equos, Iliad. ̑.

Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδας, καὶ Αἶθων, Λάμπε τε δίε
 Νῦν μοι τῶν κομισθῆν ἀπολέων.

Xanthe, & tu Podarge, & Aethon Lampeque nobilis, nunc mihi pabulum rependite. Apparet clarius meridiana luce, vectum esse Hectorem quadrigis, quoniam affatur equos quatuor, suis singulos nominibus in curru suo. Sed & certamen quadrijugum ad Trojam Dyctis memorat Cretensis lib. III. victoremque in eo extitisse ait Eumelum. Tum primum, inquit, quadrijugis equis Eumelus ante omnes victor declaratur. Unde liquet, quid censendum sit de Salmasii assertionem. Nam quod habet Philostratus lib. I. Iron. in Amphiaro: Τὸ τοῖν δύοιν ἄρμα ἵπποις (τὸ γὰρ ἐπὶ τετράγων, ἔπει τοῖς ἡρώσι διὰ χειρὸς ἦν, εἰ μὴ ἄρα ἔκτορι πρὸ θρασεί) φέρει τὸν Ἀμφιάρεον. Id est: Currus cum equis duobus (nam cum quatuor nondum heroibus in usu fuere, præterquam alacri Hectori) fert Amphiarum, juvare ipsum nequit, cum & hic quadrigas saltem Hectoris agnoscat illa tempestate notas. Sed nec valet, quod tres tantum equos nominet Papinius in Admeti eo curru; nam videtur tantum nominare omnes, sicut ipsa verba sunt Salmasii, revera non nominat, sed omittit unum. Planè sicut facit in sequentibus vehiculis, ubi duos, aliquando unum modò appellat, cum tamen ipsa quoque fuerint quadrigæ. Verba clara sunt:

Rapidum

Rapidum Danacius augur
Ascheton increpitans, meritumque vocabula Cygnum
Audit & Herculeum Strymon Chromin. Euneon audit
Igneus Aethion. Tardum Calydonalaceffit
Hippodamus, variumque Thoas rogat ire Podarcem.
 Præcipuos maximèqve nobiles cujusqve eqvos nominatim lau-
 dat, cæteros omittit, ut cuius manifestum est.

Cap. III.

De Materia Vehiculorum.

Vehicula fiunt vel ex crassis stipitibus, vel ex viminibus. Varro emen-
datur. Ἀρμαλα πλεῖστα, ἐν πλεῖστα. Vel ex tabellis. Currus ferrei. Clau-
dianus & auctor Iudicium in S. Bibliis explicantur. Interpres vetus
Bibliorum examinatur. Currus ærei. Pindari Scholiastes & Loni-
cerus refutantur. Πόσις. Hesychius corrigitur. Pindarus explica-
tur. Πεδιον ὀδὸχαλκον. Cassianus exponitur. Bige & quadrigæ inter
ornamenta adium. Vehicula eburnea, & aurea. Demsterus & inter-
pres Philostrati notati. Ammianus exponitur. Aureus currus
Constantini. Martialis explicatur contra Pignorium. Aureus cur-
rus Solis. Horatius exponitur. Ἐκάλιν pro multis. Arbores ad vehi-
cula idoneæ, fraxinus, abies, smilax. Claudianus explicatur contra
Barthium. Axis, rota, orbes, radii, juga quibus ex lignis fiant optima.
Ferrum ad vehicula.

Materia vehiculorum eadem pæne fuit omnium apud vete-
 res: pleraque namque fieri ex lignis consueverunt. Ligna
 porrò vel ex caudicibus & fustibus crassioribus inter sese junctis,
 sicut videmus hodieque in plaustris agrestibus, vel ex cratibus vi-
 mineis, vel ex tabulis integris fuere, quæ consuetudo hodieque ser-
 vatur. De plaustris profectò testari Silius videtur, quando ait li-
 bro XIII. vers. 441.

Lubrica roboreis aderant substramina plaustris.

Sunt enim plaustra roborea, velut de integris roboribus contexta.

C 2

Sed